

ADDITION AU FACTUM,

POUR Messire Henry Guillaume le Jay, Evesque & Comte de Cahors, Deffendeur, Opposant, Appellant comme d'abus, & Demandeur en Requeste.

CONTRE Messire Charles de Lorraine, Comte de Marsan, Demandeur, Intimé & Deffendeur.



UELQUE évenement que puisse avoir la Cause de Monsieur l'Evesque de Cahors, il est important pour sa reputation & celle de son Clergé, de faire connoistre au public & à la posterité, les genereux efforts qu'ils ont conjointement faits en cette occasion, pour délivrer l'Eglise de Cahors, & en mesme temps toutes les Eglises du Royaume, d'une nouvelle servitude dont elles estoient menacées.

Monsieur l'Evesque de Cahors, avant que de porter ses plaintes à un Tribunal contentieux, a fait de tres-humbles remontrances à nostre Saint Pere le Pape, & a exposé respectueusement à sa Sainteté les justes raisons qui faisoient croire à tous les gens de bien, que le Bref de M. le Comte de Marsan avoit esté obtenu par surprise.

Il a aussi écrit aux mesmes fins à Monsieur le Cardinal Cibo, principal Ministre de sa Sainteté, & luy a demandé sa protection avec des instances aussi fortes que respectueuses.

Le Clergé de Cahors animé du mesme esprit & du mesme zele, a joint ses vœux & ses tres-humbles supplications à celles de son Prelat, & a representé à sa Sainteté les funestes consequences du Bref de M. de Marsan, par des expressions qui ne marquent pas moins l'excés de sa douleur, que son attache-

ment inviolable aux Regles de l'Eglise, & à la pureté de la Discipline.

Toutes ces Lettres, quoy que prononcent enfin les Juges en une affaire si importante, seront toûjours des monumens du courage invincible de Monsieur l'Evesque de Cahors, & une espece de protestation que des Evesques aussi bien intentionnez que luy, pourront relever avec avantage dans des temps & dans des rencontres plus favorables.

C'est particulierement pour cette raison qu'on a crû estre obligé de publier ces Lettres; & afin de ne rien cacher au public, on luy donne aussi en mesme temps la Réponse de nostre Saint Pere le Pape, accompagnée de celle du Cardinal Cibo.

On ne fait point de reflexions sur le merite de ces Réponses, on les laisse à faire à des Juges penetrans & éclairez, & engagez d'ailleurs par leur caractere à maintenir les droits de sa Majesté, & à deffendre, à l'exemple de leurs Peres, les libertez de l'Eglise Gallicane.

Lettre de Monsieur l'Evesque de Cahors, à N. S. P. le Pape Innocent XI.

SANCTISSIMO PATRI DOMINO D. Innocentio XI. Pontifici Maximo.

Henricus Guillelmus le Jay, Episcopus Cadurcensis.

SANCTISSIME PATER,

CUM Dominus Carolus à Lotharingiâ, Comes de Marsan factam sibi a Romanâ Curiâ dispensationem dicat, vi cujus fruatur pensione decem millium librarum ex Episcopatûs mei fructibus ipsi persolvenda, tametsi uxorem nunc ducat viduam, aut cum aliis etiam in posterum uxoribus matrimonium initurus sit; injecta mihi religio gravis est ac dubitatio, num hæc dispensatio vera esset; idque mihi continuò putavi faciendum, ut ad Sanctitatis vestræ pedes accederem,

& ea quæ mihi ſuſpicionem hanc injecerunt, ipſius benignitate & clementiâ fretus exponerem.

Ubi enim illud cogitavi nullam ejus diſpenſationis concedendæ rationem, aut neceſſariam, aut Eccleſiæ utilem eſſe, nullam cur conceſſa fuerit cauſam proferri; adeoque jactari palam ab ipſo Domino Comite de Marſan ejuſque amicis tum in aula, tum inter familiares, hanc à ſe diſpenſationem emptam undeviginti millibus librarum, valde mihi ſuſpecta viſa eſt; eamque ſi veſtra Sanctitas obſignaſſet, fraudem ipſi factam fuiſſe non immerito ſum arbitratus.

Id etiam ut mihi perſuaderem fecit ipſius diſpenſationis formula: neque enim Breve eſt aliquod, * vel autographum obſignatum, ſumptum duntaxat eſt, ut appellant, in *quo cum* Sanctitatis veſtræ chirographum non extet, *ſuſpicio non levis* eſt ipſum ab actoribus D. Comitis de Marſan occultari, quod vitiatum fuerit antequam in tabulas referretur, quibus è tabulis iſtud *Sumptum excerptum eſt.*

* *La difficulté qu'on a fait quelque temps de montrer le Bref, a donné occaſion à cette conjecture.*

Huc accedit quod iſthæc diſpenſatio neque rogatu Regis Chriſtianiſſimi conceſſa fuerit; neque ob aliqua impetrantis præclara in religionem merita: *neque penſio ſit excepta ex fru*ctibus Abbatiæ in commendam datæ, aut ſimplicis Beneficii Eccleſiaſtici, ſed ex proventibus Epiſcopatûs conſtantis nongentis Paræciis, quarum pars longe maxima pauperibus abundat, ut perſpexi tum *cum earum amplius* quadringentas quinquaginta viſitavi ab uno anno ex quo meam *Diæceſim* ſum ingreſſus; quid quod ejuſmodi *penſio tertiam par*tem proventuum Epiſcopatûs mei perſolutis aliis ejuſdem Epiſcopatûs oneribus facile ſuperat.

Quod ſi anno M. D C. L X X I X. is qui me in Eccleſia Cadurcenſi proxime anteceſſit paſſus eſt iſtam penſionem imponi ſibi, minime factum eſt in honorem & gratiam Laici conjugati, ſed Clerici tonſurâ initiati. Quamobrem ut ea penſione D. Comes de Marſan gauderet contra uſum ac diſciplinam Eccleſiaſticam, qui Laïcus conjugio aſtrictus eſſet inito cum vidua prædivite, cujus fortunis omnibus potitur de integro me aſſentiri, eamque penſionem ratam haberi à me iterum oportebat, aut à veſtra ſanctitate derogari legibus Cancellariæ, quæ jubent ut in excipiendis reſervandiſque penſio-

nibus, eorum quorum res & titulus eſt, conſenſus interveniat; quibus tamen minime Sanctitas veſtra derogavit.

Ea ſunt, Pater Beatiſſime, quæ mihi dubiam diſpenſationis hujus fidem fecerunt, meque adduxerunt ut ad veſtram Sanctitatem de re tota ſcriberem, ut ipſa mihi nodum hunc pro ſua benignitate explicaret. In quo exemplum ſancti Bonifacii Moguntinenſis Epiſcopi ſum ſecutus, qui conſimili quadam in re litteras ad Zacariam felicis recordationis Summum Pontificem, unum è veſtris anteceſſoribus miſit, quibus ipſum rogabat, ut ſe, num vera eſſet una quædam ejuſmodi diſpenſatio certiorem faceret: cui Zacharias: *Abſit*, inquit, *ut hoc prædeceſſor noſter ita credatur præcepiſſe, nec enim ab hac Apoſtolica Sede illa diriguntur, quæ contraria eſſe Patrum ſive Canonum inſtitutis inveniantur.*

Hunc in modum, Pater Sanctiſſime, in animum induxi mihi, fieri non poſſe, ut obtinente Summum Pontificatum Innocentio XI. cujus auſpiciis vetus illa priorum temporum reviviſcit integritas, diſpenſatio tam adverſa legibus Eccleſiaſticis ab Romana Curia profecta eſſet. Itaque Regem ipſum Chriſtianiſſimum ſuper ea re ſum allocutus, qui pro ea humanitate, qua Subditos quoſque & maxime Epiſcopos accipit, cùm ſuarum Diæceſeon curant negotia, mihi dedit hanc veniam, ut onus hujus penſionis excutere laborarem. Ego verò magnâ ſum ſpe fore ut veſtra Sanctitas pro ſuo ſingulari diſciplinæ Eccleſiaſticæ conſervandæ ſtudio ſecum ipſa reputet, quantam vim in poſterum ad eam labefactandam ea diſpenſatio habitura ſit, ſimulque commiſeratione moveatur tot pauperum quibus hæc mea referta Diæceſis eſt, quibus propter proventuum meorum tenuitatem, non niſi parcè opitulari poſſum, & quibus nulla ſpes ſublevandæ egeſtatis aliunde affulget. Ad extremum non dubito quin id mihi, qua viſum erit ipſi ratione, ſignificet nunquam id ſe voluiſſe ut Laicus conjugatus panibus propoſitionis nullâ cogente neceſſitate veſceretur, aut illi proventus qui divino ſunt cultui & Eccleſiæ mancipati, alendiſque deſtinati pauperibus in uſus prophanos fœdè traducerentur.

Hoc ab ipſa cum ſanctiſſimâ & apoſtolicâ ipſius benedictione enixè poſtulo, ſimulque polliceor, nullum me finem eſſe fa-

ćturum obſecrandi Numen per me ac meos, ut ipſam multos annos ſuperſtitem & ſalvam eſſe ad publicam orbis terrarum utilitatem velit.

Sanctitatis Vestræ,

Pariſiis nono Kalendas Februarii
An. M. DC. LXXXIII.

Obſequentiſſimus ac devotiſſimus filius,
Henricus Guillelmus le Jay,
Epiſcopus Cadurcenſis.

Reſponſe de noſtre Saint Pere le Pape, à Monſieur l'Eveſque de Cahors.

VENERABILI FRATRI HENRICO Epiſcopo Cadurcenſi.

INNOCENTIUS P. P. XI.

Venerabilis Frater ſalutem & apoſtolicam bendićtionem: Integrum nobis non fuit ſatisfacere petitioni Fraternitatis tuæ, in eo quod reſpicit facultatem tributam dilećto filio noſtro Comiti Marſano fruendi annuâ penſione decem millium librarum ſuper frućtibus Eccleſiæ Cadurcenſis, etiamſi ſit conjugatus; agitur enim de re jam perfećta, atque ab hac ſanćta Sede multis de cauſis quas non attinet dicere fieri ſolita, quamque propterea infringere minime ducimus convenire, accedentibus præſertim præſtantibus meritis, quæ prædićti Comitis familia de Catholica religione præclarè merita, ſibi apud eandem Sedem comparavit. Cæterùm illam de pietate, virtute, zeloque paſtorali fraternitatis tuæ gerimus opinionem, ut animo ſane perlibenti, quæcunque ſe dederint occaſiones amplexuri ſimus gratificandi tibi, declarandique reipſa propenſam noſtram erga te voluntatem, cujus interim pignus

Apoſtolicam benedictionem Fraternitati tuæ peramanter impertimur. Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris die nona Martii M. DC. LXXXIII. Pontificatus noſtri anno ſeptimo. MARIUS SPINULA.

Lettre de Monſ. l'Eveſque de Cahors, à Monſieur le Cardinal Cibo.

EMINENTISSIMO D. CARDINALI CIBO, Summo Pontifici a Secretis & Mandatis.

Henricus Guillelmus le Jay, Epiſcopus Cadurcenſis.

EMINENTISSIME DOMINE,

Quamvis nullius patrocinium operoſè quærendum ſit apud Innocentium XI. in iis cauſis ubi Eccleſię res agitur; in eo tamen negotio de quo Litteras ad eum dedi, putavi mihi ad patrocinium Eminentię veſtrę omnino confugiendum eſſe. Quis enim mihi ſit alius potiori jure adhibendus, quàm ille qui propter ſummas animi & ingenii dotes, maxime vero propter acerrimum ac vigilantiſſimum in retinenda veteri diſciplina ſtudium, in partem communis curæ ac ſollicitudinis tanquam fidelis ac prudens adminiſter conſiliorum ſocius & particeps adſcitus eſt ab eo Pontifice, cui haud ſcio an parem ętas noſtra viderit. Rem totam igitur Eminentię veſtrę ea libertate quę Epiſcopos decet, eâ fiduciâ quam ipſius humanitas mihi concedit breviter expono.

Quam diſpenſationem ab ſanctiſſimo Patre obtinuiſſe ſe dictitat D. Comes de Marſan, per quam decem librarum millibus ex Epiſcopatu meo ſibi penſionis loco attribuendis fruatur, quamvis ineat matrimonium cum vidua, aut pluribus etiam deinceps, ea tam inuſitata hic videtur; tam adverſa legibus omnibus ac moribus Eccleſiaſticis; tam contraria illi ſecuritati quam ſanctiſſimus Pater adhibere conſuevit in iis omnibus quæ ad diſciplinam integrè & accuratè ſervandam ſpectant, nemo ut exiſtimaverit, illam ab eodem ſanctiſſimo Patre ul-

tro concessam ; quin potius ab illo subreptam & extortam fuisse omnes judicaverint ; quippe cujus nulla ratio proferatur idonea, vel ab necessitate, vel ab Ecclesiæ utilitate, vel denique à præclaris ejus cui concessa est in religionem meritis petita : mihi vero ut præ cæteris ita se rem habere existimem, multa persuadent.

Non possum facilè in animum inducere concessam ab sanctissimo Patre, qui tam pronas ac patentes aures omnibus accommodare consuevit, quique ut pote Christi Vicarius, & Ecclesiæ aspectabile Caput, maxime tenetur Episcoporum causam patrociniumque suscipere, quos præcipuos Ecclesia Ministros habet : ab illo, inquam, concessam fuisse me non admonito, non audito dispensationem, adeo & Ecclesiæ perniciosam propter exempli vim, & mihi, propterea quod detractâ proventuum amplius tertiâ parte quam ista pensio superat, imparem me cæteris oneribus Episcopatus mei sustinendis efficiat. Et vero, Cardinalis Eminentissime, si antequam is qui me in Episcopatu Cadurcensi proxime antecessit, iniret Episcopatum, & suis bullis ab sanctissimo Patre donaretur, necesse fuit ut ex consuetudine & norma Cancellariæ, quam consuetudinem Romana Curia constanter obtinet, ultrò sineret imponi sibi pensionem decem millium librarum in gratiam Clerici tonsura initiati, qui percipiendis juxta leges Ecclesiæ proventibus Ecclesiasticis esset idoneus ; nonne multo magis consentire me opportuit, in eam pensionem denuo excitandam, quæ statim extinguenda est, cum illi tribuatur qui matrimonio sit astrictus : quæ imponitur Episcopatui cujus administrandi onus ac titulus incumbit mihi; quæ conceditur laïco habenti uxorem viduam prædivitem cujus fortunis omnibus potitur ; quique ob matrimonium non potest, si omnes Ecclesiasticæ leges audiantur, iis frui proventibus, qui ad alendos Ecclesiæ Ministros destinati & addicti sunt.

Quæso illud etiam considera, Cardinalis Eminentissime, pensionem hanc quæ, ut dixi, tertiam partem proventuum Episcopatus mei, cæteris oneribus persolutis longe superat, quam ut perpetuam obtineret D. de Marsan prædicat undeviginti librarum millia fuisse à se persoluta, eam, inquam, non esse impositam Abbatiæ in commendam, ut vocant, habitæ,

aut alicui ſimplici beneficio; at Epiſcopatui qui cum latiſſimè pateat, nongentas Paræcias complectitur, in quibus magna vis pauperum eſt, quibus neque opem ipſe niſi admodum exiguam ferre poſſum propter anguſtos reditus meos, neque alia ſpes tamen aliunde fermè oſtenditur unde ipſorum inopia ſubleve-tur. Eas ob cauſas aliaſque nonnullas, quas fuſius expono in iis litteris quas ad ſanctiſſimum Patrem ſcribo, quaſque hic ne moleſtus ſim non perſequor, venit mihi Diſpenſatio hæc in dubium ac ſuſpicionem ne germana & vera non ſit: qua ſuſpicione ut liberare me ſanctiſſimus Pater non gravetur, oro illum per litteras & obteſtor: facturum planè confido pro ſua æquitate & ſtudio in religionem illo quo flagrat incredibili: dignum illo, dignum Eccleſiæ Capite, ac Petri ſucceſſore integerrimo reſponſum expecto, eòque expecto confidentius, quod ſperem fore ut ad meas preces Eminentiæ veſtræ patrocinium, in quo tantum intelligo eſſe ponderis, accedat: hoc ut illi beneficium debeam eodem animo rogo quo ſum,

E. V.

Obſequentiſſimus, &c

Pariſiis nono Kal. Februarii
An. M. DC. LXXXIII.

Réponſe de Monſieur le Cardinal Cibo, à Monſieur l'Eveſque de Cahors.

ILLUSTRISSIMO ET REVERENDISSIMO D. Henrico Epiſcopo Cadurcenſi.

ILLUSTRISSIME AC REVERENDISSIME DOMINE. Permoleſtum mihi accidit in ea re, in qua primum Dominatio tua illuſtriſſima operam, officiaque mea deſideravit, locum mihi non fuiſſe petitioni tuæ ſuffragandi: nec enim quod aliis quandoque concedi ſolet, negari poterat Comiti de Marſan Viro Principi & ex Lotharingica Domo, cujus tot & tam

præclara extant in Catholicam religionem merita, nec modo revocandum videtur id, quod à ſanctitate ſua, juxta Apoſtolicæ ſedis indulgentiam conceſſum fuerat, cum præſertim agatur de onere, cui jam Eccleſia tua aſſueta erat, & tu Epiſcopatum ſuſcipiens aſſenſum præſtitiſti. De cætero ſanctitas ſua eo in te animo eſt, eamque ex virtute ac pietate tua opinionem gerit, ſicuti ex adjuncto Pontificio brevi Dominatio tua illuſtriſſima intelliget, ut ſibi cuncta ab ejus paterna charitate ſperanda ſint; mihi vero gratiſſimæ ſemper erunt aliæ opportunitates, in quibus meam de dignitate, ac commodis tuis benemerendi voluntatem tibi reipſa declarare potero; cui interim omnia læta cum diuturna ſoſpitate à Deo auguror.

ILLUSTRISSIMÆ D. T.

Romæ die 9. Martii 1683.

Servitor,
A. CARDINALIS CIBO.

Lettre du Clergé de Cahors, à Noſtre Saint Pere le Pape Innocent XI.

SANCTISSIMO PATRI DOMINO D. Innocentio XI. Pontifici Maximo.

CLERUS CADURCENSIS.

SANCTISSIME PATER,

Ad Sanctitatis veſtræ pedes proſtratus Clerus Cadurcenſis humiliter ſupplicat & exponit, quod prodiit nuper ſumptum ſignaturæ Apoſtolicæ, quæ Carolo de Lorraine Comiti de Marſan ad vota laïcalia tranſeunti, & cum vidua ditiſſima nuptias contrahenti conceditur: ut penſionem annuam decem millium librarum ipſi ut Clerico à Sanctitate veſtra olim conceſſam ſuper fructibus menſæ Epiſcopalis Cadurcenſis retinere poſſit ac valeat, cujus diſpenſationis ubi nuntius huc advenit,

Epiſcopus noſter diæceſim ſuam muniaque Epiſcopalia in quibus totus fuit à die poſſeſſionis adeptæ, deſerere coactus eſt, ut imminens Eccleſiæ ſuæ malum avertere ſatageret.

Dubiæ fidei apparet omnibus iſta diſpenſatio ; quis enim credat profectam eſſe ab Innocentio XI. Eccleſiaſticæ diſciplinæ zelatore, amatore pauperum ? quis credat à Sanctitate veſtra ſic actum eſſe cum Epiſcopo, cujus ea unica cura eſt, ut Paſtoris optimi partes adimpleat, luſtrans Parochiales Eccleſias, templa reſtituens, pauperes ſublevans, lites dirimens, corrigens mores Preſbyterorum & plebis ſibi commiſſæ, hæreticos in ſinum Eccleſiæ reducens, Chriſtum ubique prædicans, verbo & exemplo ? quis, inquam, credat ſic à veſtra Sanctitate actum eſſe cum Epiſcopo non vocato, non audito, in eo negotio in quo non ſolum ſua res, ſed Eccleſiæ & maxime Cadurcenſis præcipuè agebatur ?

Bonifacius Moguntinus Epiſcopus ſcribebat olim ad Papam Zachariam quod cum vellet quoſdam nationis noſtræ abuſus corrigere, reſpondebant Galli, quod quæ in Gallia prohibebat, Romæ apud Sanctum Petrum permittebantur : *quæ omnia*, inquit Bonifacius, *eo quod ibi à carnalibus & inſipientibus videntur, nobis hic improperium & impedimentum prædicationis & doctrinæ faciunt.*

Ultimi Cadurcenſes Epiſcopi à quinquaginta annis abuſus quosdam circa bonorum Eccleſiaſticorum adminiſtrationem, quæ in uſus Laïcos impendebantur per doctrinam Canonicam corrigentes ſtatuerunt quod Eccleſiæ bona, templis reſtituendis, decorandis altaribus, ſuſtentandis miniſtris, alendiſque pauperibus deſtinata ſint, quod ſi ad alios uſus transferantur, clamant omnes cum Patribus, furtum eſt, rapina eſt, ſacrilegium eſt, hæc doctrina in quinquaginta Congregationibus foraneis, quæ à multis annis in variis hujuſce diæceſis partibus, uno quoque menſe habentur ad parochorum inſtructionem à mille Presbyteris curam animarum habentibus, firmiter ſtabilita eſt & in praxi obſervata, ſed cum auditum eſt Clericum conjugatum cum vidua habente pluſquam ſexaginta millia librarum cenſus annui, ex pretenſa S. V. diſpenſatione bona pauperibus ablata, in equos & canes, in currus, in convivia, in ornatum uxoris, in famulorum ſuperfluitatem impendere ;

multi à veritate auditum avertunt & ad falsam doctrinam convertuntur, nos vero cum sancto Bonifacio dicere cogimur, *hæc rescripta nobis improperium & impedimentum prædicationis & doctrinæ faciunt.*

Cum lachrimis hæc scribimus, Sanctissime Pater, verum est & non mentimur, quod hujus civitatis & diæcesis pauperes innumeri ad portas domus Episcopalis omni alia spe destituti, cæci, claudi, senes, juvenes, infirmi utriusque sexus quotidie petunt panes, sed per prætensam S. V. Dispensationem non est qui frangat eis: ibi à quinquaginta annis per quotidianas distributiones inopiæ pauperum subventum est ab Episcopis, qui sine illa diminutione gaudebant universis fructibus Episcopatus Cadurcensis: piis illis charitatis officiis non destitit novus Episcopus noster, diminutâ mensâ ac famulorum comitatu, pecuniâ etiam mutuò acceptâ, sperans secundum jus commune & Canonicum cui non credebatur derogatum iri, pensionem Ecclesiasticam extinguendam esse per subsequens matrimonium; sed cum ab Episcopi dicessu urbis & diçcesis pauperes juxta solitum morem ad unicum charitatis fontem recurrentes, ipsum siccatum viderunt, exclamantes dixerunt, *hæreditas nostra versa est ad alienos:* quid emolumenti affert Ecclesiç hçc Laïca pensio, quç hodie apud nostrç diçcesis hçreticos vertitur in parabolam, hi à diebus quindecim accepto rescripti nuntio derident nos & dicunt, si per dispensationem possunt Clerici conjugati frui proventibus Episcopatus, quidni poterunt Presbyteri per dispensationem uti uxoribus.

Olim ut dixit Alex. III. Cap. Sane *de Clericis conjugatis* per summos Pontifices Viris potentibus Beneficia concessa fuerunt; sed in defensionem Ecclesiç, sed in juris conservationem, his enim temporibus lites armis dirimebantur, verum reddita Ecclesiç pace non sunt necessarii Abbates isti milites; horum deffensione non indiget Ecclesia Gallicana, quç sub magno Pontifice, magnoque Rege, suis fulcitur libertatibus ac privilegiis; istçque dispensationes magis debent digna animadversione puniri quam facili dispensatione foveri.

Diligitis justitiam qui judicatis terram; scimus, Sanctissime Pater, quod inquiritis eam, & omnem injustitiam persequimini, inde speramus & certe credimus quod eritis subve-

nientes necessitati. Diœcesis nostra nongentas & amplius Ecclesias complectitur, ibi sunt ad minus quingenta hominum millia, quorum non exigua pars emendicare cogitur, si Sanctitatis vestrę dispensatione pensio perpetua redditur, ad Episcopum pauperum patrem in vanum recurret. Non ignoramus, Sanctissime Pater, positos vos dispensatores in ędificationem: ubi necessitas urget, excusabilis est dispensatio; ubi utilitas provocat, dispensatio laudabilis; sed ubi acceptio personę nullo titulo de Ecclesia bene merito in pauperum & Ecclesię damnum, non est fidelis dispensatio, ait S. Bernardus, sed crudelis dissipatio.

Speramus, Sanctissime Pater, quod si quid liberius dixerimus, ignoscet Sanctitas vestra dolori nostro, & urgenti pauperum necessitati tribuet, & Deum indesinenter orabimus ut Sanctitatem vestram ad Dei gloriam, & Ecclesię utilitatem per multos annos salvam & incolumem conservet.

S. V.

Obsequentissimi, &c.

Cadurci pridie Kal. Martii
An. M. DC. LXXXIII.

Le Clergé de Cahors n'a point receu de Response.